



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Sol Triplex In Eodem Universo**

**Hermann, Amand**

**Sultzbaci, 1676**

Octava. De Immensitate Dei.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95850](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95850)

tate 16. 17. ubi dum dicit, præterita apud Deum non præteritæ nec futura expectari subdit: *Sed omnia præsentia cogitantur*, per hoc significans se locutum de non præteritione & futuritione objectiva tantum, non de reali & entitativa.

## QUÆSTIO VIII.

*De Immensitate Dei.*

**Quamvis** immensum ex primaria sui in-

**I.**  
*Immensum ex primaria sui institutione quid significat.*

stitutione idem sit, ac aliquid non habens mensuram seu limitem, quo sensu convenit eum infinitatē, & Deus dicitur habere immensam bonitatem, sapientiam, &c. tamen, prout hic de ea agitur tanquam de attributo, seu modo intrinseco aliquid distincto ab aliis attributis Dei, describi potest; quod immensitas sit perfectio illa Dei, secundum quam habet, esse seu natus est esse præsens necessariò quoad suam substantiam omnibus rebus, seu secundum quam convenit Deo esse ubique. Ubi adverte differentiam immensitatis Dei & ubiunitatis in hoc consistere, quod ubiunitas sit præsentia quam Deus necessariò habet ad res omnes actualiter existentes, Immensitas verò est aptitudinalis præsentia secundum quam natus est Deus esse præsens intimè, & sic se habet respectu ubiunitatis tanquam actus primus respectu actus secundi, & in utroque sensu queritur an Deus sit ubique, seu immensus. Judæorum Rabbi, teste Hieron. in illud Isaia 66. *Cælum sedes mea*, credebat Deum residere in solo templo Hierosolymitano; Antromophitæ heretici, qui Deum corporeum putabant, illum determinato circumscripto loco detinebant; Manichæi suo bono Deo lucem, malo tenebras pro residentia deputabant: Author libri ad Alexandrum M. de mundo, quem propterea aliqui Aristotelis esse negant, Deum in solo Cælo residere docet, quem errorem secutus est Augustinus Eugubinus vir alioquin Doctus, & Catholicissimus, nam in Psal. 138. *Si ascendero in Cælum, &c. ait Deum, quoad solam substantiam in solo esse Cælo, licet quoad potentiam sit in rebus omnibus, fundans se in ratione illa Manichæorum, si nimirum ubique quo ad substantiam esset, contaminaretur à vilissimis hisce rebus sublunaribus, sed erravit.* Unde

**II.**  
*Deus est immensus.*

**Dico, Deum esse immensum.** Ità cap. firmiter, his verbis: *Firmiter credimus, quod unus solus est verus Deus æternus, immensus, &c.* Et habetur passim in Scriptura Baruch 3. *Magnus est, & non habet finem, excelsus & immensus, Jerem. 23. Cælum & terram ego impleo. Sap. 1. Spiritus Domini replevit orbem terrarum. Psal. 138. Si ascendero in Cælum, &c.*

**III.**

**Dices:** Ex his locis quidem haberi, quod Deus sit ubique sed non quod sit ubique necessariò. Contra si non esset necessariò ubique, frustra esset ubique, sed est secundum Scripturam ubique, & non frustra, ergò necessariò.

**IV.**  
*Authoritates Patrum.*

**Probatur Conclusio secundo**  
Ex communi consensu S. S. P. P. quos citat Smiling hic disp. 5. n. 14. mihi verò sufficiat S.

Augustini Authoritas, qui in Psalmum 138 sic ait: *Qui potest fugere in mundo ab illo spiritu, quo plenus est mundus? quis est locus receptus spirituum Dei? Veritè se huc atque illuc quasi quærens locum fugæ suæ. Tandem cognovisti male fugiisse nullo pacto te posse longè fieri ab eo, a quo longinquæ voluisti, ecce ille ubique est.* Et 7. Civit. 30. ait: *Deum implere omnia præsentia potentia non advenit naturæ.* Et lib. 3. symb. cap. 7. dicens: *Hic est enim esse Deum, ubique esse totum.* Non per diversa tempora vel loca dicimus ubique esse totum, ut modò ibi totus sit, & alio tempore alibi totus, sed ut semper ubique sit totus. Et serm. 102. divers. cap. 13. *Ubiq. totus Deus: Non alibi dimidiatus, & alibi alio dimidio constitutus, sed ubiq. totus.* Implet Cælum & terram, sed totus est in Cælo, totus in terra. Quando totus in terra est, Cælum non deserit, sed cum Cælum implet, à terra non recedit. Cui addo melliflum Doctorem, qui serm. 6. de dicat. Eccl. sic loquitur: *Quomodo enim tantum Patriarcha nescire potuerat, quòd non esset locus, ubi non esset Deus? Sed fortè aliud esse miratus est ubi ait: Verè Dominus est in loco isto. Ibi verè est, & verè Dominus est, ubi in ejus nomine Angeli simul & homines congregantur.* Licet enim in omni loco sit, qui nullo clauditur loco, signanter tamen dicimus: *Pater noster qui es in Cælo: quòd aliter illic, & proprio quodam modo præsentem se exhibeat, non quidem ipse diversus, sed diversa distinguens.* Est ergò in omni loco omnia univèrsaliter continens, omniaq. disponens; sed longè tamen aliter atque aliter. Apud homines malos est præstolans, atq. dissimulans: apud electos homines operans & servans: apud superos patens & cubans: Apud inferos arguens & damnans. Et serm. 1. in Psal. 90. *Licet enim ubique esse non dubitetur, sic tamen in Cælo est, ut ad ejus comparationem nec esse videatur in terris.* Propter quod & orantes dicimus: *Pater noster qui es in Cælo.* Item lib. 5. de confid. cap. 13. hæc habet: *Quid igitur est Deus? Longitudo inquam. Quid ipsa? Æternitas. Hæc tam longæ, ut non habeat terminum non magis loci, quam temporis.* Denique lib. 5. de confid. cap. 6. ait: *Quis sine Deo locus? incomprehensibilis est Deus: sed non parum apprehendisti, si hoc tibi de eo compertum est, quòd nunquam sit, qui non clauditur loco, & nusquam non sit, qui non excluditur loco.* In assignanda ratione Metaphysica hujus Catholice veritatis variant inter se Theologi. D. Thomas 1. p. q. 8. cum suis probat conclusionem ex eo, quòd Deus ubique operetur producendo & conservando creaturas omnes, quòd non faceret nec facere posset, nisi esset ubique, sed hæc ratio non probat. Quia ut suppono ex Physica, potest dari actio indistans in rebus creatis etiam, ergò licet Deus operetur ubique producendo & conservando res creatas omnes, adhuc tamen poterit in determinato tantum esse loco. Confirmatur licet creatura operari non posset nisi esset ubique præsens, tamen hoc oriretur, vel quia est limitata virtutis, vel quia videmus experientia, quòd in operatione sua dependeat à præsentia actuali ad locum, seu ad rem, in quam operatur, sed Deus non est limitata virtutis, nec experientia habita in creaturis concludit de Deo, alias sicut constat experientia, quòd independentèr à subiecto creatura non agat, ita nec Deus agere posset, ergò.

Conclu-

VI.

Propria ratio Dei immensitatis.

Conclusio communiter probatur ab

aliis ex immutabilitate & illimitatione Dei sic: Deus est immutabilis; ergo est immensus, probatur consequentia: Quia si Deus non esset immensus posset esse distans ab aliqua Creatura, à qua postea posset esse indistans, sed sic mutaretur; ergo si Deus est immutabilis, & immensus erit.

Secundò probatur sic ex infinitate:

Omnis perfectio Divina debet esse infinita & illimitata, aliàs Deus non esset infinitus & illimitatus in tota latitudine essendi, sed si non esset ubique immensitas, quæ est perfectio, illà ratione, cuius aptus est coexistere necessario infinito spatio, ad certum limitaretur spatium seu locum; ergo non esset infinita & illimitata, nec consequenter Deus esset sic infinite perfectus actualiter. Confirmatur, posse esse ubique, est perfectio sine imperfectione, ergo. Sed certæ hæc etiam rationes non convincunt, quia quamvis esset perfectio in Deo posse esse ubique, & illa perfectio debeat esse infinita, tamen non sequitur ex hoc, quòd sit ubique, quia ad infinitatem illius perfectionis sufficit, quòd Deus possit se ponere ubique, licet in solo resideret cælo, nam sicut ex infinitate omnipotentia Dei non sequitur, quòd producat infinita, sed sufficit quòd possit producere, ita ex perfectione illa immensitatis Divina non sequitur, quòd Deus se actu ponat ubique, sed sufficit, quòd sic se possit ponere dependenter à sua libera voluntate. Confirmatur, quamvis esse ubique non dicat imperfectionem, tamen certum est quòd non dicat perfectiorem necessariam Deo simpliciter, tum quia Deus non erat ubique ab æterno, quare si esset perfectio ipsius, posset dici, quòd non est nisi perfectio libera, & consequenter quòd possit carere illa non solum absolute, quatenus eam non haberet, casu quo nullæ essent Creaturæ quibus esset præsens, sicut nec ab æterno fuerunt, sed etiam ex suppositione, quòd Creaturæ sint productæ, quibus posset esse præsens si vellet.

Et rationes non convincunt.

VII.

Non mutaretur si de novo fieret præsens.

Dices: Si posset esse locus, cui Deus non esset actualiter præsens, movendo se ad illum locum mutaretur, sed hoc implicat, ergo. Respondedo, quòd sicut de facto propter ubi-quitatem nil reale positivum ponimus in Deo, sed solum negationem indistantiæ & respectum rationis coexistentiæ ad locum, ita per non ubi-quitatem ejus, aut per hoc, quòd de novo inciperet esse præsens alicui loco nullà entitate reali positiva, multo minus perfectione aliqua privaretur adeoque nec mutaretur plùs quam mutatur nunc, quoties terminat aliquem respectum novum realem alicujus Creaturæ ad ipsum.

VIII.

Ratio Pontii quæ probat immensitatem.

Pontius noster hinc q. 8. n. 3. probat ubi-quitatem Dei hæc ratione: Deus deberet esse præsens necessario uni Creaturæ, si illa sola existeret, verbi gratia Angelo; ergo debet esse præsens necessario omnibus Creaturis existentibus, consequentia patet à paritate rationis; probatur antecedens: Primò, quia non potest esse distans ab illa Creatura; ergo debet ipsi esse præsens. Secundò, si non esset ipsi neces-

F. Amadis Hermann Metaphysica.

sario præsens, posset se illi præsentem facere, aliàs non posset se illi intuitivè ostendere, in tali casu vel faceret se illi præsentem se ipso, vel mediante aliquo respectu, cuius natura esset Deum præsentem facere Angelo, si primum, haberet intentum; si secundum, contra est, quia ille modus superadditus esset superfluus; ergo illæ entitates Dei nimirum & Angeli sunt sibi substantialiter necessariò præsentibus sine ullo superaddito. Confirmatur, quia nil impedit quòd minus dicatur, quòd Deus sit se ipso præsens omnibus Creaturis, & quidem nobis defacto; ergo cum Scriptura & P. P. hoc doceant, sic & non aliter est sentiendum. Verùm nec hæc etiam ratio convincit evidenter, ut facile esset ostendere rectè intuiti illam. Unde concludo cum Doctore in reportatis d. 37. in solutione primæ questionis, ubi ait nec à priori nec à posteriori, secluso lumine fidei, hanc veritatem demonstrari posse, Rationes tamen adductæ spernendæ non sunt, nisi quis habeat meliores. Cæterum contra Conclusionem nil occurrit singulare, nisi quòd videatur Deum dedecere permiscuè esse in omnibus quantumcumq; vilibus locis, neque sic eorum sordibus, ut Evgubinus inquit, coinquinaretur, aut eorum variis mutationibus perturbaretur, sed hæc frivola sunt, quia ex tali præsentia nec coinquinari, nec mutari potest, imò talis præsentia maximè commendat ejus Immensitatem & Majestatem, ergo.

Quæres: Quid ergo significatur per il-

lud quòd communiter dicitur Deum esse præsentem rebus omnibus per Essentiam, Præsentiam & Potentiam? R. omisis aliorum variis dicendi modis, Deum esse præsentem rebus omnibus per essentiam, quatenus ipse est realiter indistans, quoad suam substantiam ab omnibus rebus, per præsentiam quatenus intimè cognoscit res omnes earumq; naturas, per potentiam deniq; quatenus ubiq; operatur producendo, conservando vel destruendo res omnes, si vellet &c.

IX. Explicatur Præsentia per Essentiam & Potentiam.

QUÆSTIO IX.

De Invisibilitate Dei.

Adverte me hic per Visionem Intelli-

gere actum sive intellectus, sive oculi, quo percipitur Deus clarè & distinctè, ut in se est, ut ipsa experientia actus nempe cognoscatur, vel appareat ipsam existere absque ullo discursu vel ita, ut non percipitur per species emendicatas ab aliis rebus, aut mediante ullo discursu, sicut defacto intelligitur à credentibus & cognoscentibus per demonstrativos, ac probabiles discursus, qua in re

DICO I. Deum nequit videri naturaliter ab

Intellectu, aut oculo corporeo. Hæc est communis cum D. 4. d. 49. q. 4. s. In ista questione D. Thoma &c. Et definita quo ad intellectum in Clementina ad nostrum contra Bequardos & Bequinos, ubi refertur qualiter ipsi docuerunt quamlibet intellectualem naturam in se ipsa esse naturaliter beatam, & animam non indigere lumine gloriæ ad videndum Deum, eòq; beatè fruendum.

II. Nequit naturaliter videri.

Ffffff

Proba: